DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HAIRE,

Hibernus.

——————— Quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. VIRG.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

VIRO SPECTATISSIMO,

DAVIDI CULBERTSON, ARMIGERO,

PROPTER URBANITATEM ATQUE AMICITIAM,

QUIBUS SE SUOSQUE PROSECUTUS EST;

NECNON

HENRICO SAMUELI BAYNES,

DE PRÆDIO BONNENSI,

ARMIGERO;

VITÆ ET MORUM INTEGRITATE, COMITATE, ELEGANTIA,

ORNATISSIMO;

PLURIMIS NOMINIBUS

AMICO EXOPTATISSIMO;

HASCE PRIMITIAS ACADEMICAS,

QUALESCUNQUE

D. D. D. C. Q.

JOANNES HAIRE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

Auctore Joanne Haire.

INTRODUCTIO.

Ut alimenta sanis corporibus Agricultura, sic sanitatem ægris Medicina promittit. Ita de Re Medica, Hippocratis sectator inter Latinos, elegans Celsus, et non temere censuit. Quamvis enim nonnullæ coporis humani adflictiones, inter quas Phthisin Pulmonalem enumerare liceat, nulla arte adhuc tractandæ, quasi Medicinæ opprobria permanserint; multos tamen morbos etiam truculentissimos latissimeque sævientes, pacavit atque edomuit.

Auctores non pauci, cum veteres tum recentiores, viri egregie docti, labis pulmonum causas et remotiores et proximas perscrutando, describendo, ac removendo, multa cum laude, nec parvo labore ad ejusdem curationem sese accinxere. Quàm plurima autem ad perfectam certioremque praxeos normam desideranda sint atque supplenda, funera heu! nimis frequentia, lugentesque amici abunde testantur. Specimen quoddam Academicum editurus, quid ergo mirum—an operæ pretium faciam, si de Phthisi Pulmonali dixerim? incertus sum. Utcunque erit, hoc olim meminisse juvabit, Humani generis saluti, quocunque modo, et ipsum consuluisse: et, uti dudum illustris monuit historicus, "si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, meo qui nomini officient, me consoler."

Quam rem hoc ordine absolvendam puto, 1 Pauca quædam pro historia Phthiseos Pulmonalis, quomodo, nempe, pathematis suis clariùs dignoscatur. 2do. De prognosi, vel progressu ad eventum, eheu! non insolito funes-

tum semper festinanti, exponam. 3tio. Uti argumentum systematice procedat, causas, tum indicationes curatorias, potius autem palliativas in hoc morbo tractando præcipue observandas enarrare oportebit.

DEFINITIO.

Phthisis Pulmonalis, atrophia totius corporis, una cum febre lenta, tussi, et sputo sæpe purulento.

I.—HISTORIA MORBI.

Tabes pulmonum, ulceribus per varias causas inductis, sæpissime vero tuberculis, abscessibusque in vesiculari eorundum substantia, plerumque debetur. "Tempus intra sedecim et triginta sex annos Phthisicis familiare, post triginta sex annos," dicit Hippocrates, "(licèt hæreditaria sit Phthisis) homines vix Phthisi laborare, i. e. naturaliter; aliter his annis hæc

crebrò observatur." Fœminis, sanguinea corporis temperie, teneraque vasorum et fibrarum constitutione gaudentibus, vel habitu strumoso præditis, quam masculis sæpius infesta; et in his insulis, forsan ex crebris procellis, et variis atque subitis tempestatum cœlique mutationibus, magis quam in aliis regionibus, sedes proprias fixisse videtur.

In primis mihi arduum videtur, quibus tandem morbi temporibus, pulmones tubercula contrahant aut hæcce aperte distingui possint, statuere: symptomata vero sequentia inter Phthisicos, in iis casibus quos attentiùs observavi, tuberculorum ulcerisque enascentis, signa dedere.

Igitur post Hæmoptysin vel suppressam solitam evacuationem, Phthisicus Hiemali maxime ac Autumnali tempestate, variis affectibus catarrhalibus, raucedine, obtuso thoracis dolore, cum tussi sicca et Dyspnœa, præcipue aucto motu, solicitari solet. Tussis primo equidem levis, vel potius *tussicula*, parùm si aliquid incommodi adfert: postea autem ferociùs ag-

grediens, circa noctis adventum corpus totum plurimum turbat, debilitatem tædiumque pervigilii ingratum inducit.

Ægro uno latere decumbenti (præsertim sinistro) magis quam altero vehementior fit, ac sæpe ob muci tenacitatem laryngi inhærescentis, vomitum movet. Ubi tussis insistit pertinax, propter pulmonum exagitationem violentam, aliquo vasculo haud rarò rupto, sanguis floridus aliquando copiose fluit, ac ferme eodem tempore spirandi difficultas augetur.

Pulsus per omne morbi crudelis curriculum in genere, nocte autem appropinquante præcipue, velocius fertur.

Somnus interruptus, valida tussi plurimum turbatus, sero fessos complectitur artus, aut membris ægris quietem præbet debitam.

Tum demum magnam materiæ purulentæ atque viscidæ spuere cœpit copiam : horripila-

tiones cum sensu frigoris per universum corpus vagantur; genæ rubescunt, et reliqua facies omnino pallescit.

Febris Hectica sub noctem advenit, et mane sudores largiores superveniunt. Vires decrescunt quotidie; tabescit carnosa corporis substantia; et Phthisico, si lateri sano superincumbat, tussi, cum expectoratione materiæ flavidæ cruore commista, ingravescente, periculum adest, ne subitò suffocatione internecetur. Eò jam, proh dolor! devenit ut sceleto videatur simillimus. Acumen narium mirabile cum vocis raucitate accedit; oculi vitrescunt, et languescunt; crura tument; capilli effluunt; frigora aures obsident, et postremo diarrhœa lethalis morbo et vitæ finem imponit.

Symptomata supradicta, in genere quidem ubique, sed non omnia necessariò morbum comitantur; et pro ratione vitæ, habitu corporis, aliorumque, necnon in diversis vitæ stadiis, multum variant. Maxime autem notandum,

per omne adflictionis funestæ curriculum, usque ad mortem ingenium esse vividum, animumque ægroti spe recipiendæ salutis erectum esse.

II.—PROGNOSIS.

——— "Nox atra caput tristi circumvolat umbra."

Hicce morbus atrox, multiplex, et omnium tractatu difficillimus plerumque in morte desinit. Itaque operæ pretium erit si quædam ulcerum præsentiam adnotantia, ex sputi conditione, in medio collocaverim.

Ex Pulmonum omni superficie interna, ad illas partes tenerrimas illinendas, defendendasque ab aëris atmospherici actione, materia levis aliquantulum tenax, minime noxia, quæ dicitur mucus, valetudine adhuc firma, secernitur ; Ulceribus vero pulmonum substantiam obsidentibus, superficie ulcerata pus excretum et ex parte muco commistum expuitur. Quomodo igitur an mucus, an pus exscreetur, distingui poterit ?

Antiquos Medicos et hoc signum bene intellexisse, ex operibus eorum plane constat. Horum facile princeps HIPPOCRATES ita de *eventu* refert.

"Cum quis," inquit, "ex pulmonis vitio tabescit, huic sputum crassum, aliquantulum *ex virore,* (ὑπόχλωρον) et dulce per tussim rejicitur; dentium stridor est; dolor pectus et dorsum occupat; tenuis sibilus in faucibus editur; eæque siccescunt; cavitates rubent; vox gravis est; pedes intumescunt; ungues contrahuntur; partes superiores extenuantur et imminuuntur. *Sputum ore contentum exscreaturus detestatur* (μυσαττεται.) Matutino tempore et media nocte tussis maxime vexat, itemque alio tempore; hicque morbus juvenem mulierem potius quam vetulam prehendit. Siquidem jam capilli ex capite huic defluant, caputque velut ex morbo nudetur, et supra prunas expuenti sputum graviter oleat, hunc intra breve tempus periturum asserito et ex alvi profluvio periturum." Hæc ille. Conclusiones vero ex sputi conditione deducendæ, si mihi judicare fas est,

certa sine lege vagantur. Mucus enim in ignem impositus, eodem fere modo, quo pus, graviter olet; itaque qui de morbo dubitant, hac nota malè utuntur.

Recentiorum ab experimentis de differentia inter mucum et pus existente institutis colligimus, pus subalbidum, quasi e granulis compositum pinguetudine cremori lactis non dissimile, colore paulisper virescens, saporeque nauseam pariente extitisse. In vase vitreo non coagulat calore subjecto; serò putrescens et aquam gravitate superat. Solutio ejusdem in acido vitriolico vel lixivio alcalino, aqua addita, plurimùm turbatur, resque præcipitata imum vas petit.

Præterèa si morbus fuerit hæreditarius, habitusque strumosus, si Phthisico, corpore strictiore, tenero ac debili prædito, sit thorax minime capax seu male formatus: si febris, adhuc lenta, delirio stipata indies ingravescat, sudoresque largiores effluant; hisce narratis si tussis vehementior, anhelatio fœtida, hæmorrhagia e pulmonibus copiosior, et spirandi difficultas

superveniant; postremo si diarrhœa ingruerit, tum demum venit ineluctabile tempus, et mors dirimit pugnam.

Contrà, spiratio facilis, dolor thoracis cessans, pulsus minùs frequens, sudores imminuti, et hæmoptysis parca neque sæpius recurrens, forsitan Phthisico spem aliquam relinquunt: et tussis mitior evadens, expectoratio libera, copiosa, et minus purulenta, vires crescentes indies eventum omnino faustissimum promittunt.

III.—CAUSA PROXIMA.

Causam proximam hujus morbi esse ulcus pulmonum per diathesin systematis phlogisticam enascens; et ab hoc fonte impuro, vel acrimonia vel miasmate suo inquinante totam massam sanguineam, omnia symptomata, viz. tussim vehementem, calorem hecticum ac corporis consumptionem originem suam trahere existimo. "Quidquid ergo ulcus pulmonum fecit;

id Phthisin pulmonalem efficere potest." Hasce conclusiones sectio cadaverum confirmare plane videtur. Diathesis phlogisticæ in pulmones convergentis causæ remotiores collocandæ videntur.

1. In sanguinea corporis temperie, teneraque vasorum et fibrarum constitutione: quam hæmoptysis comprobat.

2. In omnibus, pulmonibus irritamentum impertientibus.

(α.) Inspiratione aeris frigidioris post corporis incalescentiam, vel uti Hippocrati visum est, *ἀπο τȣ̃ ἥερος ἐπιμιγνυμένȣ τω̃ συμφύτω θερμω̃.*

(β.) Inhalatione aeris mephitici, vel äeris gasibus nimis stimulantibus, seu noxiis vaporibus permisti.

3. Recursu Hæmoptyseos frequentiori, si scilicet vas magnum in pulmone ruptum et vulnus magnum sit.

Morbi fere innumeri, quales asthma, catarrhus, scrophula, &c. phthisin inducere valent; in iisdem casibus igitur phthisis symptomatica potius quam idiopathica haberi possit.

IV.—CURATIO.

De Phthisis pulmonalis curatione dicturi, infandum jubemur renovare dolorem; nam quo studio, aut qua arte pestem depellere possimus! Quacunque viam petimus, successum, heu! morbus lethalis negat. Eò perventum, ut quisquis hunc morbum descripsit, sæpius de acto quam de agendo locutus sit. Equidem sæpissime vix ac ne vix quidem aliquid medico agendum superest, præterquam symptomata magis urgentia leniundo viam ad umbras quam minime horrendam efficere. Quoniam de causa hujus morbi certi, indicationes per se patebunt, cognita causæ indole, scilicet.

I. Diathesis phlogistica imminuenda ac removenda.

II. Quædam symptomata nullis cedentia remediis leniunda.

I. Diathesis phlogistica ut potissimum imminuatur, de missione sanguinis primo dicencendum. De sanguinis missione in phthisi, medici in varias sententias abiere, quod, ut passim fieri solet, hac de causa contigit, quia pro suis morbi causarum rationibus, indicationes formarunt curatorias.—E. g. Christ. Bennet, *in Theatro tabidorum*, dicit, " Nonnulla corpora esse tam tenera, ut cibos et potus subigere non valeant, et vitium hærere in pulmone; tum vero ibi fit accumulatio et majus tuber et majus, si non oriatur hæmoptysis; idem dicit Anglos cibos meracissimos, carnes et pisces et similia assumentes accipere chylum crudum, qui in pulmonibus stagnat; et hinc hi ægri leviter et sicce tempore pomeridiano tussire solent; hocque notat materiam ibi accumulari, quæ acris facta vasa corrodit, &c. Hinc illi homines hoc morbo sunt obnoxii, quibus viscera sunt adeo debilia, ut chylum ingestum non in bonum sanguinem convertant, sed aliquid

putridi crassamenti relinquant, quod relictum in pulmone aggeritur, unde hæmoptysis; tum totum corpus est infectum, omnia vasa debilitata; hic morbus curatur, sanguinis impetum minuendo," &c. Contra alii, systematis debilitatem quasi omnium malorum causam primariam accusantes, utpote Phthisis in habitibus strumosis sæpissime occurrit, medicamentis roborantibus ac forsitan stimulantibus maximum esse opus affirmarunt. Hominis autem est errare. In extrema semper ruimus.

——————— Nam id arbitror,
Adprime in vita esse utile, ut ne *quid nimis*.

Viribus plurimùm imminutis, ingravescente diarrhœa cum sudoribus largioribus, tum vero venæsectio plane nocens evadit. At si difficilis spiratio, Hæmoptysis frequens et ætas firmissima adsint; si pulsus feratur velocius, aut dolor thoracis valde urgeat; ex signis præsentibus missionem sanguinis modicam ac pro ratione symptomatum repetitam, omnino necessariam esse tutò affirmare possumus.

Epispastica partes externas irritando interioresque levando auxilium felicissimum nonnunquam in Phthisi attulerunt: Ergo ubi post missionem sanguinis, pathemata supra memorata nihilominus ferociunt, sine mora, epispastica iis partibus thoracis maxime dolentibus accommodentur; quod, si annalibus physicis ulla est fides, aliquando morbum crudelem depellere valuit. Mihi sæpe rem in animo versanti est mirabile, cur in gravidis phthisi laborantibus symptomata fere omnia prorsus leniri, post partum vero ingravescere soleant. Cur rubeolæ, variolæ, aliarumque externarum affectionum tam frequentissime labes pulmonum sit sequela? Nonne consensum inter partes ostendit? Et quid tandem vesicantium, fonticulorum, &c. munus eximium ac forsitan inexpertum, clarius demonstrat?

Purgantia. Irritamentum magnum toto systemati fæces aridæ, induratæ, in intestinis cunctantes impertiunt. Experientia equidem comprobatum habemus, diathesis phlogisticæ fomitem plerumque in primis hærere viis,

eumque a saburra ibidem generata potissimum foveri et augeri. Exinde summi est momenti, ut alvus semper libera servetur, minime verò medicamentis acriter purgantibus, quæ nimirum corpus debilitant, ac perversa imbuunt consuetudine; catharticis autem lenioribus, et clysmatis. Ad alvum lente ciendam, infusum sennæ compositum maxime idoneum expertus fui.

In morbi autem stadio supremo, diarrhœa nimirum occurrente et usque ad mortem ingruente, cavendum, ne eandem concitemus, aut graviorem reddamus.

Diaphoretica. Hoc genus medicamentorum vasa extrema præcipue stimulat, partesque internas nimia sanguinis quantitate laborantes exonerat. Eorundem quidem usu, et rivi sanguinei æqualiter sese effundunt, vasorumque actio exhalantium in superficie corporis plurimum augetur.

Inter morbi principia, ubi tussis vehementior

evadit, calorque febrilis, anxietas, spiratio difficilis cum thoracis pressione tensiva adsunt, diaphoretica et doses emeticorum nauseantes adhibere licet. Sudores vero largiores effluentes eorum usum omnino interdicunt. Iis maxime cognata in proximo loco.

Emetica ponemus. Satis inter medicos notum est, aut compressione, vel sympathia, in pulmones emetica actionem propriam extendere, exindeque materiæ purulentæ expulsionem faciliorem reddere, valere. Quidam medicinam facientes, tubercula pulmones obsidentia, usu emeticorum solo resolvi posse; eademque causa, febrem hecticam, ejecta nimirum materia purulenta, ex integro prohibendam esse, putaverunt. Hæcce autem opinio nullo modo praxeos universæ testimoniis nititur, plurimisque, si non omnibus, vana et futilis videtur. Nullos effectus levantes (dyspnœa et tussi ingravescentibus, propter sputi accumulationem viscidi in aspera arteria, ejusque ramulis,) ex usu emeticorum derivari posset, non in animo est affir-

mare ; hosce tantum levantes, non curantes, esse semper observavi.

Emetica sanguinem in extremas corporis partes propellendo, ut supra notavimus, alterum eximium usum præbent.

Expectorantia, in duas classes discedunt, scilicet.

(*a.*) Quæ glandulas locales stimulant.

(*b.*) Quæ quantitatem materiæ expuendæ copiosiorem reddunt, forsitanque ejus acrimoniam obtundunt.

Quod autem ad horum priora attinet ; ea ab plurimis medicis, omni ævo, laudibus summis donata fuisse, notum omnibus. Quæstio hic oritur, cur balsamica, &c. hic laudantur ? Si enim Phthisin Pulmonalem a diathesi phlogistica, tanquam fonte omnium malorum originem suam trahere, consideremus, si in curatione ejusdem diathesi phlogisticæ quam citissime

obviam eundum, ne omnia symptomata ingravescant, morsque eheu! nimis festinans adhuc citius adveniat; cur, inquam, medicamenta quæ stimulantia prorsus evadunt, in morbo a statu systematis concitato orto, (si ex aliqua parte ad pulsus velocitatem attendamus,) aut laudantur aut, multo minus, administrantur. De hac re Clariss. BOERHAAVE ita loquitur; "Sed vidi eos dedisse ægris pessimo cum successu, nam hæc sunt calefacientia, hæc destruunt ventriculum, anorexiam majorem faciunt, calorem, et siccitatem augent." Altera classis remediorum, viz. demulcentia tantum mechanicè agunt. Nonnulla symptomata magis urgentia sicùti tussis sicca, et pertinax ob muci tenacitatem laryngi inhærescentis, plurimùm leniuntur.

Narcotica. Omnes fere medici in hoc morbo tractando, narcotica vel per se vel aliis remediis commista præscripsere. Hæcce medicamina, morbum ferociùs grassantem compescere, vigiliam tussimque violentam lenire, et placidam quietem inducere videntur. Sæpenumerò autem per eorum usum intempestivum om-

nia fere hæc pathemata ingravescere observavi, atque plus injuriæ quam utilitatis ferri.

Ex iis, Digitalis purpurea notatu digna præcipuè apparet; quoniam nonnulli recentiores, viri, *arte insigni*, ejus præstantissimas virtutes ad cœlum laudibus extulerunt. Effectus ejus maxime sedantes, exinde ad vim sanguinis nimia velocitate per pulmones irruentis imminuendam, præ omnibus aliis idoneos descripserunt.

In gradu morbi supremo, propter alvi commotiones quas excitat, inutilis ac prorsus infesta evadit.

Equidem hominem phthisi laborantem novi, cui sapor digitalis quocunque modo administratæ, adeo ingratus fuerit, ut ad vomitum ciendum semper valuerit.

Pathemata animi sub finem hujus capitis adnotare liceat. Affectiones animi in corpus, imperium ferme infinitum exercent. Catena sa-

cra, quæ ignem æthereum cum fabrica terrena nectit, innumeras affectiones mutuas inducit. Sed quis tandem hanc explicavit, aut ejus leges descripsit? corpusne aliquo morbo laborat? Animus simul ægrotat. Animus vero depressus, tristis, ac mærens, corpus debilitat enervatque. Hospes cœlestis aut terram cognatam linquere aut umbras petere nolens, quasi gubernator assiduus, procellam minantem prospiciens ad illius vim perferendam colligit vires. Itaque summi est momenti, nos in auxilium venire ac spiritus ægroti labantes suffulcire. "Et," uti dudum admonuit Celsus, "A negotiis abstinendum est, omnibusque rebus, quæ solicitare animum possunt." Ægrotantis animus nullis officiis intentus, tranquillus, ex multis miseriis vitæque ærumnis requiescens corpus recte gubernat: eadem causa, corpus etiam nullis animi irritamentis tentatum, ad functiones peragendas multo alacrius evadit. Plerumque autem hisce minime opus est: quippe ægrotantis animum spe recipiendæ salutis erectum esse, supra notavimus.

V.—DIÆTA.

Cùm de diæta Phthisicis maxime congrua agitur, varietates ejus, uti nobis vel ex regno animali, vel vegetabili occurrunt, breviter describere oportebit.

Diæta ex substantia animali, vel illius præparationibus confecta, copiam nutrimenti maximam continet.

Oleracea contra minimam suppeditat portionem nutrimenti. Lactea inter priores duas quasi medium tenet: utriusque naturam participans, ex ambabus ab aliqua parte constituta, plus quam hæc, minus vero quam illa alimenti subministrat.

I. Caro animalis, in gluten, vel fibrinam, opera chemicorum præsertim resolvitur; ex quo maxime nutriens; sanisque corporibus pabulum commodissimum, ægrotis vero stimulum

noxium, præbere videtur. Præterea ab concoctione ejus faciliori, nimirum, absorbentium horum, quæ vasa lactea appellant, actione, cibi recepti præsentia valde excitata, moleque massæ circulantis præter modum adaucta, diathesin phlogisticam potissimum aggravari posse, satis constat.

Nonnulli equidem medici hisce inducti, a carne animali, utpote morbo funesto vires subministrante, Pthisicis omnino abstinendum, admonuere. In quibusdam vero casibus, viribus parum adhuc imminutis hanc diætæ rationem, multa incommoda secum ferre, viz. consumptionem corporis citiorem, debilitatem, &c. experientia compertum est.

Ita dum, ne malum pleniore diæta novas acquirat vires, assidue curamus, cavendum ne in contraria feramur, et corpus cum morbo crudeli strenuè obluctans cibis necessariis prorsus destituatur. Igitur ubi febris mitissima, et alia symptomata levissima evadunt, Phthisico victus qui concoctu faciliores sunt, et maximam

nutrimenti copiam in sese continent tutò concedere possumus; "quales sunt, carnes pullinæ, ostreæ, viperinæ, cuniculi domestici, et sorbitiones nonnullæ ex muricibus concoctæ, et similia, copia modica in ventriculum ingesta."

II. Oleracea. Plantæ regno animali, materiam et alimentariam et medicam maxime commodam, ex succis suis salutiferis præbent. In iis etiam (ut Mirbel ornate notavit) quasi in officina ingenti, cæterarum rerum reliquiæ, aqua, tellus, uno verbo, omnia mutationes novas subeunt, dum homini terrarum domino cæterisque animalibus pabulum paratum sit. Esculenta in genere alimenti minimum suppeditant, sed perspiratione faciliores evadunt, minimeque in concoctione stimulantia, systemati toto gratum frigus impertiunt.

III. Secretio animalium lactea, utpote partim vegetabilium, partim animalium, natura prædita, hominibus, constitutionis teneræ et vi concoctionis minime valentibus aptissima videtur. Ab primo vitæ ortu usque ad ejus finem ali-

mentum saluberrimum præbet, et fere omnes, præcipuè autem valetudinarii, uno vel alio modo lacte utuntur.

Lac animalium ita sese gerens, minime stimulans, maxime equidem nutriens, omni ævo, uti victus phthisi laborantibus aptissimus, propositum est. Et multi auctores ejusdem eximias virtutes in site sedanda, et munus blandi et forsitan antiseptici medicamenti perficiendo, laudarunt. "Lac," inquit BOERHAAVE, "in pus non abit, facile acescit, intra corpus non putrescit, humectat, sitim sedat, blandum est medicamentum, non gravans."

Lac caprinum, asininum, humanum, quod maximam nutrimenti copiam in se continet, præferendum est. Nonnulli inter quos HOFFMAN, lacti in genere, præsertim vero asinino, aquas minerales acidulas, v. g. seltzeranas, conjungere volunt.

Lac aut ex mammis subductum, aut in partes suas resolutum, quanquam in regimine

Phthisicorum partem diætæ gratissimam sese præbeat, tamen pro remedio certo, contra puris aut absorptionem vel formationem, vel calorem febrilem nequaquam haberi potest.

Aeri ruris salubriori, exercitio, cœlo sereno rebus scenisque animum oblectantibus, morbus crudelis (si, postquam semel firmavit vestigia unquam se remittat, vel ex toto abeat) cedere omninò videtur.

VI.—DE AERIS ATMOSPHERICI CONSTITUTIONE, &c.

Aer, illud elementum nobilissimum in quo a primo ortu usque ad ultimum vitæ finem, ad similitudinem piscium mare habitantium vitam agimus; quatenus ad Phthisicos attinet varius est.

I. Caloris et Frigoris.

II. Misturæ cum heterogeneis.

I. Calor in his insulis per æstivos menses supra grad. 78° F. raró ascendit; hoc quoque anni tempore corpus humanum, laxum, debile, agitatione minime gaudens, et ad evacuationes profusiores pronum, dysenteriæ, febribus putridis biliosisque præcipue obnoxium est.

Ad æstatem veró, ubi lenes Favonii auris placidis perflant terras, et aera respirabilem ad pulmones irritandos minus aptum reddunt, tanquam ærumnarum requiem, Phthisicus, diu tussi hiemali vexatus, jamdudum spectat.

Morbi quidem principio, symptomata fere omnia, æstate ineunte, mitiora evadunt, ac prorsus submoveri nonnunquam videntur. Quæ ratio Phthisi laborantes, appropinquante jam hieme cum aquilonibus, ut cœlo mutato, in regionibus ventis leniter spirantibus perflatis, vitam transeant, strenue monet. Scriptores diversi locos omnino diversos commendarunt. Insulæ Bermudæ, Azores, regiones Galliæ Australes, Italia et quædam Angliæ partes cum multis aliis ubique vicissim laudes suas accepe-runt. Ex testimoniis medicorum fere innume-

ris, colligimus Campaniam, regionem Italiæ uberrimam, aptissima saluberrimaque Phthisicorum hyberna præbere, et eandem eleganti suo more ita Florus descripsit. Omnium, non modo in Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cœlo; denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo liberi cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari: hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus et tepentes fontibus Baiæ: Lucrinus et Avernus, quædam maris otia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus et pulcherrimus omnium Vesuvius, Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii et ipsa caput urbium Capua.—Hic obitèr liceat adnotare.

Exercitationem. Optimum erit, dum cœlum sit serenum, si ægrotus, ambulando, aut equitando, vel etiam rheda vectus leniter corpus exerceat. Cavendum vero, ne pulmonibus frigore tentatis, tussicula ingravescat; et ob hanc causam os obtegendum, et fauces velandæ sunt.

Quidam in hoc morbo curando, navigationem, propter aeris puritatem majorem, salubritatemque insignem superficiei aquarum insedentis, jussere. Ita CELSUS: "Si id imbecillitas non sinit, nave tamen non longe gestari commodissimum est. Si navigationem aliqua res prohibet, lectica vel alio modo corpus movendum est." Eventus si unquam faustissimus, vomitui inter navigationem plerumque excitato, magis deberi, quam aeris constitutioni vel naturæ illico existentis, videtur.

II. Aeris mistura cum heterogeneis. Aer exhalationibus terræ quibuscunque, putredine nimirum, fœtore, nebulis paludibus atris surgentibus, fumis, aeris quiete et sexcentis hujusmodi causis, inficitur; hinc terras colentes depressiores, fodinarum inspectores, cellas subterraneas habitantes vel aera e pulmonibus nostris exhalatum respirantes, etiam opifices sulphuris comburentis, arsenici, aliorum nocentium fumos inhalantes, plurimis vexari morbis, inter quos tabes pulmonum locum principem tenet, satis superque constat. Ab iis quasi fontibus, halitum

lethiferum spirantibus, omnibus, præcipue vero Phthisicis, cavendum est.

Fluidum respirabile in conclavibus multitudine hominum coarctatis, ab aere e pulmonibus exspirato, cum effluviis e corporibus humanis orientibus mixto plurimùm corumpitur. Ex qua origine, et corpore postea subito frigori objecto, quam multa incommoda, sæpissime funesta enascuntur? Igitur uti hanc pensi partem, secundum formam aphorismi graviorem concludere videamur, Tales locos minime frequentet Phthisicus.

VII.—NONNULLA SYMPTOMATA LENIUNDA.

Ad ultimum nunc quod in hoc tentamine proposui me accingam; quamvis enim Phthisis, nullis remediis adhuc tentatis debellanda, sæpissime in morte desinit, et vix ac ne vix quidem aliquid medico agendum restat, nisi ut lethales aditus molliores et minus formidolosos

efficiat, medicamentis tamen scite adhibitis, saltem dolorem mitiorem reddere, et reliqua symptomata urgentia prorsus levare possumus. Tria symptomata horrenda in ultimis hujus morbi stadiis plerumque adsunt, tussis, nimirum, dyspnœa, et diarrhœa; de his igitur ordine loquar.

Tussis in omnibus fere morbi periodis, præsertim in ultimis ægrotum plurimum vexat, et sæpissime placida noctis quiete fruentem somnis vah nimium crudelis! defraudat. Nonnunquam equidem ita miserum torquet quasi vitæ et pugnæ imponere voluerit finem. In tantis angustiis haud raro versamur, ut ad tussim leniendam et somnum inducendum opiata adhibere oporteat.

Hæcce vero medicamina sæpenumero repetita, vim concoctionis destruunt, et statui systematis inflammatorio minime conveniunt. Quamobrem tussim per usum demulcentium in genere eorum præsertim quæ aliquam nutrimenti partem in sese contineant, narcoticorum

vero minorem, leniendam esse prætulerim. Dyspnœa circa noctem plerumque advenit; tum difficilis spiratio; calor major, et nonnunquam delirium adsunt. Hic vero missio sanguinis, quoties ægri vires sustinéant, remedium unicum præstantissimum. Interdum vero dyspnœa materiæ purulentæ in ramulis bronchialibus congestæ debetur, et evacuatione ejusdem potissimum levari potest; in hocce casu emetica valde prosunt. Ex inhalatione vaporis aquæ fervescentis, vel ejusdem æthere sulphurico commisti, tum dyspnœæ cum tussis violentæ, levamen optatum, et pro tempore omnium symptomatum ferociorum cessationem sæpissime vidi.

Diarrhœa ante mortem præcipue ingruit, vires ægroti labefactas destruit, et si non remediis tempestivis subacta, brevi vitam eripit. Hocce malum supremum, opiatis et astringentibus in genere levandum est.

FINIS.